BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

ANIMAE EX-
AVCTORATÆ
NON POSSVNT CON-
citare tempeſtates in aëre.

TEmpeſtatum animam hinc quis ſomniet eſſe potẽtem
Cùm meat, exuviis diſpoliata ſuis?
Non ea vis animæ, nec in aëra tanta poteſtas,
Hic vbi corporeis fungitur officiis.
Forſitan in ventos abit, aut vi abſumitur ignis,
Iride Tartareo ſacra ferente deo:
Sæpiùs immani terra unde remugit hiatu,
Vnde pluens, boat hinc, fulgurat inde, polus:
Antra tamen telluris eodem temporis ictu
Quî potis, æthereas & reſerare fores?
Adde, homicidarum cùm pendula triga latronum
Infami caderet ſub cruce, triga ſtrigum:
Nec ſudum magis eſt unquàm, nec amicior aër,
Non pluviæ, tonitrus, fulgura, grando, nives.
Quæ tamen eveniant, (nec enim accerſuntur ab ipſis:)
Sed vafer ancipiti hęc arte ciet Satanas.
Aër enim globulum hinc Dianæ & ſubter, & illinc,
Innumero fervet Dæmone, fervet humus.

ERGO

Spiritus ut ſemel hæc liquit tentoria pernix,
Aereas nullâ turbat ab arte plagas.

PLVS INTER-
eſt nobilium literatos eſſe, quàm
HOMINVM INFERIORI
loco poſitorum.

SInt penes omnigenûm heroem myſteria rerum
Sacra priùs, quàm ſic per rude vulgus eant.
Præteritum ſe etenim indignum virtute reatur
Cernere, ab his, quibus eſt nobilitate prior.
Quin & multiplices, Pol, æquum eſt calleat artes,
Imperij quotus eſt, qui moderamen habet.
Quòd ſi aliis, quibus arriſit magis æquus Apollo,
Nobilium inſertis accidat eſſe choro:
Nobilitas infenſa pares, infenſa priores
Plebs ferre: Invidia hinc gliſcit, & hinc odium.
Addo, quòd æternæ hæc ſit nobilitatis imago:
Impar: ſed referens ambitione Deum.
Quoq́; Dei eſt agnata magis, magis imbibat altè,
Quâ integrâ fruitur cognitione Deus.
Publica, quin etiam Hippocratis velut ore gemellos
Res, cum *Academiâ cuilibet indigitat.
Veraq́; nobilitas (nam vera nec eſt, nec habenda eſt
Vera ſecus) tantæ vivida imago rei eſt.

*Sic hę ſyllabę proferuntur in Carmine Lauręę Tullij apud Plinium lib. 31. nat. hiſt. c. 20. Atq; Academię celebratam nomine villam.

ERGO

Nobilibus curanda eſt dia ſcientia plus, quàm
Fortunâ poſitis inferiore viris.